

tionem apostolica, expletio autem incerta, & dubia facta non presumitur.

62 Colliges septimo ex tali axioma, quod qui certus est de debito, & dubitat an solverit, tenetur solvere;

63 quia certa est obligatio, & dubia liberatio; unde possessio stat pro creditore contra debitorem, nisi etiam creditor ipse dubitet, quia tunc Tan. in 1. 2. decis. 2. q. 6.

64 de Cr. 4. censet non teneri. Quoad hoc tamen placet limitatio Laymani in theol. moral. lib. 1. tit. 1. c. 6. n. 42. quod scilicet non tenetur in tali casu ad integram solutionem, sed solum ad partem ejus pro qualitate dubii.

65 Colliges octavo ex tali axioma, quod dubius de legis justitia, obedire tenetur, quia superior est in possessione juris præcipiendi, quo spoliari non potest per purum dubium subditi. Colliges nono ex dicto axioma, quod qui certus est se vovisse ecclesie, v. gr. sex mensura tritici, vel vini; & dubius est de qua mensura intellexerit, ex quo in communi usu sæpè patrie duplex mensura existat major, & minor; tunc sive ipse vovens, sive suus hæres tenetur solvere solum ad mensuram minorem, ut expresse habetur in c. Ex parte 18. de censibus, ibi: Cum ergo non constet ad quam mensuram antecessores eorum prædicta vota persolverint, credimus distinguendum, utrum habitatores regionis ipsius, qui ea continue persolverunt, ad unam & eandem mensuram hujusmodi vota persolverint? An ad varias, & diversas? In primo enim casu, ad eandem & illi solvere sunt cogendi. In secundo volentes solvere ad minorem, non sunt cogendi ut ad majorem persolvant, quoniam cum hujusmodi vota gratuita fuerint ab initio, benignius sunt ad viris ecclesiasticis exigenda, ne tanquam exadtores videantur lucris temporalibus inhiare. Idem dicendum est in simili de scutis, vel ducatis majoribus, & minoribus ex voto, vel legato debitis, ut decernitur; leg. Nummis, ff. de Leg. 3. Et ratio est, quia de minoribus solum mensuris, vel nummis est certitudo, de majoribus autem est dubium, adeoque pro illis tantum, non pro his stat possessio & præsumptio, juxta enim regulam 31. Juris in 6. In obscuris minimum est sequendum.

67 Ex primo ad ultimum quoad dubia, & obscura habetur regula expressa de mente S. Leonis Papæ in c. Sicut quædam 2. dist. 14. præcisè his verbis: In his, que vel dubia fuerint, vel obscura, id nosimus sequendum, quod nec præceptis evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum invenitur adversum. (Lex 5. tit. 33. part. 7. 18. tit. 9. part. 6.)

68 Conscientia probabilis, seu opinativa, est judicium prædictum intellectus ex gravi ratione, vel auctoritate adherens nisi parti contradictionis determinate, sed cum formidine de opposito; est in re communis. Conscientia probabilis differt à conscientia recta, seu certa, ex quo hæc relinquit intellectum certum ex una parte contradictionis, non autem conscientia probabilis, quæ ipsum relinquit cum formidine de opposito. Differt etiam à conscientia dubia, ex quo illa neutri parti determinate adhæret, sed manet anceps, ac suspensa inter utramque contradictionis partem; conscientia vero probabilis determinate adhæret, & assentit uni parti ex fundamento probabilis, licet cum formidine de opposito & licet tollatur firmitas assensus, non tollitur tamen ejus determinatio: adhuc enim intellectus determinate assentit, & adhæret uni parti, & quidem ex gravi fundamento, licet non adeo firmiter, ut sit in conscientia recta. Conscientia probabilis dividitur in probabilem probabilitate intrinseca, & in probabilem probabilitate extrinseca: conscientia probabilis probabilitate intrinseca est illa, cujus probabilitas habetur ex ratione, id est, ex principiis intrinsecis talis propositionis, qualia sunt causæ, vel effectus ipsius, ad definitio, vel circumstantiæ, aut quid simile. Conscientia probabilis probabilitate extrinseca est illa, quæ habetur ab auctoritate, id est, à gravitate, & prudentia Doctorum eam tenentium. Item conscientia probabilis alia est vere probabilis, quæ scilicet gravi nititur fundamento, & alia est tenuiter solum probabilis, in quantum levi solum nititur fundamento, unde ista improprie dicitur probabilis, & non vere, qui cum sit levi solum suffulta fundamento, non est sufficiens ad formandum judicium prudens, quod secundum eam liceat hic, & nunc ope-

rari; & talis est opinio, quam unus, vel alter docet, & non habet rationem intrinsecam, vel si habet, non est firma, sed levis, leve enim censeri debet fundamentum, & auctoritas unius, vel alterius, quando communis aliorum consensus est in contrarium.

Hinc resolvitur primo: Potest homo in rebus moralibus, & actionibus humanis licite sese conformare conscientie, seu opinioni vere probabilis. Est communis.

Id est, inter probabilistas; non enim Auctorem eruditissimum ignorasse arbitror, innumerum pene Scriptores doctrina, pietate, ac dignitate perspicuos adversus probabilismum dimicasse: ipsos Pontifices Maximos, se probabilismum adversarios non semel ostendisse: Ecclesie prælatos, cum in synodis, tum in pastoralibus institutionibus, nullum non movisse lapidem, ut probabilismum à suis respective diocesisb eliminarent: Regularium denique ordines sine comitis, editis decretis, Probabilismum repudiassent, adeo ut nullus fere hodie alicujus nominis theologus repeterit, qui probabilismum, ut noxiam morum regulam rejiciendam haud arbitretur. Quæ de re consul. Opus vere aureum celeberrimi Patris Joannis Vincentii Patuzzi Ordinis Prædicatorum, Italico sermone exaratum, cui titulus: Trattato della regola promessa delle azioni umane nella scelta delle opinioni. Venetiis editum anno 1758.

Et ratio est, quia operans juxta regulam recte rationis, ut facit operans ex conscientia vere probabilis, operatur licite; quoniam enim in moralibus nequit semper haberi omnimoda certitudo per rei evidentiam, debet sufficere certitudo præctica ex probabilibus desumpta, aliter vix unquam posset aliquid recte, & licite operari propter incertitudinem rerum præctiarum, & sic vix unquam haberemus quietam conscientiam. Unde jure merito Alexander VIII. die 7. Decemb. 1690. sequentem damnavit propositionem tertiam in ordine: Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam. Opinio autem vere probabilis censetur illa, quæ gravi suffulta fundamento est consona sacre scripture, sensui ecclesie, & conciliorum, traditioni Sanctorum Patrum, & doctrinæ Theologorum in ecclesia communiter auctoritatem sortitæ. Unde S. Thom. in opus. 39. de fallac. c. 2. sic præcisè habet: Probabilia autem dicuntur, quæ videntur omnibus, vel pluribus sapientibus, aut omnibus, vel præcipuis, & maxime nostris; & fere consimilibus verbis jam definierat Aristoteles 1. top. c. 1. ibi: Probabilia sunt, quæ videntur omnibus, aut pluribus, aut sapientibus, & his vel omnibus, vel pluribus, vel spectatis simis. Unus tamen Auctor potest facere opinionem vere probabilem, si plures classici Doctores pro ea fideliter citet. Immo potest dari casus, ut opinio unius Doctoris sit vere probabilis, etiam si quamplures Doctores contrarium teneant, si Auctor ille non sit novitatis amicus, & ita solidas afferat rationes, quæ facilius aliorum rationes infringant; ratio enim est anima legis: & de facto in c. Nicæna synodus 12. dist. 31. expresse habetur, quod sententia Paphnutii fuit præposita sententia plurimorum in eodem Concilio prætendentium statuere, ne Clerici in sacris constituti dormiret cum suis uxoris ante eorum consecrationem legitime ductis, ibi: Synodusque laudavit sententiam ejus, & nihil ex hac parte sancivit, sed hoc in uniuscujusque voluntate, non necessitate permisit. Et leg. penult. cod. de veteri jure enucleando, sic præcisè habetur: Sed neque ex multitudine Auctorum, quod melius, & æquius est, iudicatio, cum possit unius forsam sententia multos, & majores aliqua in parte superare. Unus autem Auctor, qui non habet, nec afferat rationes intrinsecas ita firmas, ut aliorum rationes ab ipsis infringantur, non potest facere opinionem vere probabilem. Unde merito Alexand. VII. die 24. Septembris 1695. damnavit sequentem propositionem 27. in ordine: Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam esse à Sede Apostolica tanquam improbabilem. Talis enim opinio esset solum leviter, & tenuiter probabilis, & ad summum dubia probabilitatis, unde non liceret ei prudenter adhære; Innocentius enim XI. die 22. Martii 1679. damnavit sequentem propositionem 3. in ordine: Generatim dum probabilitate, sive intrinseca,

quan-

quantumvis tenui, modo à probabilitatis finibus non exeat, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

Resolvitur secundo: Potest homo licite sequi opinionem veram quidem, sed minus probabilem, minusque tutam, relicta probabiliori, & tutiori, quando tamen agitur de sola honestate actionis, an licita sit, vel non? Est jam fere communis. Id est, inter probabilistas. Vide notam num. 73. appositam. Etiamque docent innumerum Doctores tam recentes, quam antiqui; quos omnes adducere nimis esset longum, & operosum. Veritas hujus conclusionis ostenditur in primis auctoritate sanctorum Canonum, & Pontificum; nam cap. Ego solis 5. dist. 9. de mente S. Augustini epist. 8. ad S. Hieronymum expresse dicitur, rationes probabiles sufficere ad regulandum iudicium prudens; c. Sicut quædam 2. dist. 14. de mente S. Leonis Papæ sic præcisè dicitur: In his, que vel dubia fuerint, vel obscura, id nosimus sequendum, quod nec preceptis evangelicis contrarium, nec decretis Sanctorum Patrum invenitur adversum; ex quo textu hanc sententiam probat Sanctus Antonius apud Espar. in append. n. 159. Plures Summos Pontifices processisse secundum opinionem sibi visam minus probabilem, ostendit Cardenas in 1. cris. dist. 15. cap. 2. num. 7. Et dispensasse in voto solemnium castitatis contra opinionem tutiorem S. Thomæ, qui 2. 2. q. 88. art. 1. negat id licere, refert Delbene part. 2. de Inquisit. dist. 236. sect. 66. part. 12. Vide supra num. 44. cum sequent. Et Hadrianum VI. propter unum Cajetani auctoritatem contra propriam opinionem dispensasse in matrimonio rato, refert Dom. Sot. in 4. dist. 27. q. 1. art. 4.

Probat etiam ratione: qui operatur secundum opinionem vere probabilem, ille prudenter operatur; sed qui prudenter operatur, licite agit, & non peccat, ergo & c. minor patet; probatur major: qui operatur secundum rationem firmam & gravem, ille prudenter operatur, quia agit conformiter rationi rectæ, & sed qui operatur secundum rationem firmam, & gravem, ergo & c. adeoque cum liceat prudenter operari, licitum est sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam (dummodo sit vere probabilis, & tuta, ut supponit conclusio) relicta probabiliori, & tutiori, quando agitur de sola honestate actionis: Tum quia qui operatur secundum opinionem vere probabilem, habet conscientiam præctice certam quod licite operatur; ultra enim actum opinativum directum, explicite, aut virtualiter habet actum reflexum, quo certe judicat se licite operari, dum hic, & nunc operatur secundum opinionem vere probabilem, & tuta: Opinio enim minus probabilis, & minus tuta est, & manet vere probabilis, & vere tuta, non obstante, quod alia opinio opposita sit, vel appareat probabilior, ac tutior, quia major illa probabilitas, & securitas opposite sententiæ non destruit probabilitatem, & securitatem quamvis minorem alterius opinionis, qui maneat vere probabilis, & vere tuta; sicuti major bonitas unius actus virginitatis, v. gr. non destruit minorem bonitatem alterius actus conjugalis, qui sit, & maneat vere bonus, & tuto amplectendus; quia opinio certe probabilis non amittit suam probabilitatem per aliam probabiliorum, sed solum per aliam certam, quoniam probabilitas tali certitudini, non falsitati opponitur, & major probabilitas non excludit falsitatem, immo est communis Aristotelis axiomate: Multa falsa sunt probabiliora veris.

Resolvitur tertio: Non potest homo licite sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori, & tutiori, quando agitur de materia facti, & exinde sequitur certum periculum inferendi damnum proximo. Est communis. Et ratio est, quia nemo potest extra casum necessitatis tuti, ac licite sese exponere gravi periculo inferendi damnum notabile proximo, sed qui in materia facti sequitur opinionem minus probabilem, & mitiora tutam relicta probabiliori, ac tutiori, exponit se periculo inferendi grave damnum proximo; & quidem extra casum necessitatis, cum juxta hypothesis tali periculo facile possit occurrere, sequendo opinionem probabiliorum, & tutiorem; ergo in materia facti cum periculo inferendi grave damnum proximo non licet sequi opinionem minus probabilem, & minus tutam, relicta proba-

biliori, & tutiori: Major patet ex præcepto charitatis de diligendo proximo sicut se ipsam. Minor probatur inductione; sic enim Sacerdos in administratione sacramentorum adhibens materiam, vel formam dubiam, minusque probabilem, & minus tutam, cum possit adhibere certam, aut tutiorem, exponeret sine ulla prosum necessitate non solum periculo invaliditatis ipsam sacramentum, sed etiam recipientem periculo non habendi fructum sacramenti, cum dispendio æternæ salutis, si forte sua sententia minus probabilis à parte rei esset falsa, unde talis Sacerdos graviter peccaret, cum jure merito Innoc. XI. die 2. Martii 1679. damnaverit sequentem propositionem 1. in ordine: Non est licitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti relicta tutiore, nisi id veteri lex, conventio, aut periculum gravis damni. Hinc sententia probabilis tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis. Similiter Judex sententias ad favorem partis minus probabile jus habentis, & sic peccaret, cum idem Innocentius XI. die qua supra damnaverit sequentem propositionem 2. in ordine: Probabiliter existimo Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

Hinc Judex in suis sententiis tenetur sequi opinionem probabiliorum, quia censetur institutus à republica, ut unicuique juxta merita causæ omni meliori modo quo potest, jus suum tribuat, nec sit acceptator personarum; unde cum pars suffulta opinione probabiliori in jure majora habeat merita, & majus jus in causa, stat quod Judex juxta ea majora merita, & ipsum majus jus decidere debeat; ut expresse deducitur ex mox citata propositione damnata ab Innocentio XI. Immo neque quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex adjudicare causam cui maluerit, & si minor accipiat, ut ad unius partis potius favorem sententiam pronuntiet, peccat mortaliter, & ad restitutionem tenetur; ut clare deducitur ex sequenti propositione 26. inter damnatas ab Alexandro VII. die 24. Septembris 1665. Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius pro alio. In tali enim casu, quando re mature examinata, & accurate discussa, non appareat quænam pars potiori, & probabiliori sit suffulta ratione, & pro utraque parte remanent æque probabiles opiniones, debet Judex, vel compositionem inter partes suadere, vel rem controversam inter litigantes ex æquo dividere in re, vel in pretio, ut docet communiter cum Sanchez lib. 11. in Decalog. c. 9. n. 47. Layman. lib. 1. tract. 1. cap. 5. n. 16. Spoter. tom. 1. tract. 1. cap. 1. sect. 3. n. 61. Bar. Tamburin. & alii passim. Excipiendum tamen est semper, nisi forte alter litigantium esset in possessione bonæ fidei, quia possessio pro possidente facit rationes præponderare, taliter quod non amplius maneat rationes utrinque æque probabiles, sed melior evadat conditio possidentis, juxta commune axioma, melior est conditio possidentis adductum, & explicatum supra sub n. 48. cum sequent. Excipiendum est etiam, nisi alter litigantium sit reus, quia ipsi etiam contra Actorem favet possessio juxta regul. 154. ff. de reg. Juris, ibi: Cum per delictum est duorum, semper oneratur petitor, & melior habetur possessoris causa. Et regul. 11. Jur. in 6. ibi: Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quam actori. Vide supra n. 51. Excipiendum est denique; nisi agatur de causis piis, & privilegiatis, quales sunt causæ fidei, religionem, & salutem animæ concernentes, causæ pro matrimonio, dote, libertate, pupillo, pro quibus judicandum est, ceteris paribus, etiam contra reos, quia jus positivum ita disponit; leg. Summ. contra personæ, ff. de religio. & sumpt. fun. & cap. Duobus Judicibus 26. de sentent. & re judicat.

Similiter Medicus & Chirurgus nedum tenentur sub mortali sequi sententias certas, & secutas, relictas incertis & dubiis; sed etiam certa ratione infirmorum non occurrente, tenentur sequi opiniones probabiliores, relictas minus probabilibus. Sic certa, & communis Doctorum. Et ratio est, quia ultra obligationem generalem charitatis, qua omnes tenentur meliori, & efficaciori modo, quo

quo possunt, auxilium ferre proximo graviter indigent; adest in Medicis & Chirurgis ad hoc etiam specialis obligatio iustitiae respectu infirmorum; infirmi enim, vel laesi censentur pactum saltem implicitum, & virtuale iniis cum Medicis vel Chirurgis de adhibendis remediis securis & probabilibus salutem intentam operantibus, adeoque Medici & Chirurgi peccant contra pactum, & sit contra iustitiam, si relicti remediis probabilioribus, & securioribus, adhibeant remedia minus secuta, & minus probabilia, vel periculosa, cum sic periculose agatur de salute corporali infirmorum. Per accidens tamen poterunt Medici & Chirurgi adhibere remedia minus tuta, & minus probabilia, si infirmi, vel laesi non possint, aut nolint solvere pretiosa remedia. Sic etiam quidam infirmus, vel laesus extreme laboret, ut certum, vel verisimillimum sit esse moriturum, nisi aliquo remedio adjuvetur, & nihil aliud occurrat, poterunt Medici, vel Chirurgi adhibere quodcumque remedium, quamvis minus securum, vel dubium, dummodo certe non constet esse mortiferum, & probabilis javandi superet periculum nocendi, & habeatur consensus ipsius infirmi, vel suorum consanguineorum, quia in tali casu, cum ex una parte vita infirmi jam sit desperata, & ex altera parte adsit aliqua spes, vel probabilitas remedii, prudenter, & sine ulla offensa agunt Medici, vel Chirurgi adhibendo remedia minus tuta, dubia, & periculosa. Sic communitur. Non licet autem Medicis & Chirurgis experiri in desperatis, an medicamenta sint utilia, vel noxia, quia sic subitur manifestum periculum mortis acceleranda. Ita etiam communitur.

93 Sic etiam Consiliiarii in dandis consiliis, ubi adest periculum ne proximo fiat damnus, aut injuria, tenentur sequi sententias certas, vel probabiliores. Ita ex communitate Vasquez opuscul. de restitut. cap. 6. §. 3. Bardi discept. 4. cap. 22. Sporter. tom. cap. 1. n. 62. & alii. Et ratio est, quia Consiliiarii in consiliis publicis, v. gr. de necessitatibus Principis dum consultatur de tributo aliquo imponendo: an adsint iustae causae, neque? Habent se tamquam Judices inter Principem, & subditos uti partes litigantes, ut consultivum iudicium ferant, à quo pendet resolutio Principis pro imponendo vel non tale tributum, adeoque sicut Judices inter partes litigantes, ita & Consiliiarii inter Principem, & subditos tenentur sequi sententiam certam, seu probabiliores in favorem scilicet illius, pro quo stat opinio probabilior, & ut recte dicunt Navarr. Adrian. Spor. & alii, mortaliter peccant contra iustitiam, si ex affectu, vel respectu humano semper exquirant sententias ferentes placito, & commodis Principis, vel sui principalis, & iuxta sententiam minus probabilem consulunt in favorem ipsius cum periculo inferendi grave damnus proximo. In dandis autem consiliis, ubi non adest periculum inferendi damnus proximo, possunt Consiliiarii sequi sententias minus probabiles, dummodo sint vere probabiles. Immo in similibus casibus possunt Consiliiarii significare consulentibus talem opinionem à quibusdam Doctoribus tamquam probabilem defendi, quam proinde ipsis consulentibus sequi liceat, quamvis ipsi Consiliiarii eandem speculative falsam esse iudicent, & proinde in praxi ipsi sequi non audeant. Et ratio est, quia ipsi consulentes habent jus sequendi opinionem probabilem, & hoc jus suum illi indicare non prohibentur Consiliiarii. Laym. lib. 1. tract. 1. c. 5. n. 9. Bonac. tract. 2. dist. 2. q. 4. part. 9. n. 8. Busem. lib. 1. c. 9. dub. 2. & alii. Sic Advocati in patrocinandis causis non tenentur sequi opinionem probabiliores, sed possunt licite sequi opinionem vere probabilem, id est, non possunt suscipere defendendam causam minus probabilem, sed vere probabilem, licet causa adversaria iudicetur ab ipsis probabilior; ita fere communitur Doctores. Vide verb. Advocatus per tot. & praecipue art. 2. in fin.

100 Resolves quarto: Licet esse sequi opinionem alienam vere probabilem, & vere tutam, etiam contra propriam opinionem probabiliores, & tutiorem visam; immo etiam quandoque eam sequi debere; sic tenent Azor. Vasquez, Layman, Less. Valent. Saías, Bonac. Sot. Bann. Serraz. Bardi, Tanner. Sanchez, Terrill. in regul.

9. 22. & 35. art. 12. q. 46. n. 6. Spor. 1. r. tract. 1. c. 1. num. 44. alique plurimi, & gravissimi Auctores cum Hsung. tom. 1. art. 6. §. 5. & Mendo in stat. dec. 12. q. 15. Et ratio primae partis est, quia in moralibus actionibus necesse non est sequi quod est melius & tutius, sed sufficit sequi bonum, ac tutum; sed id, quod docet opinio vere probabilis, licet aliena, & contra propriam opinionem probabiliores & tutiorem visam, est vere bonum, ac tutum; ergo licitum est eam sequi, & secundum illam operari; per hoc enim quod quis suam opinionem iudicet esse probabiliores, ac tutiorem ex principis intrinsicis, & rationibus, quae ipsi apparent insolubiles, adiacet stat quod oppositam sententiam aliorum Auctorum extrinsece saltem censeat vere probabilem praecae, & tuto sequendam in praxi, suasque rationes ab aliis esse solubiles, vel solutas, licet ipsi solutio non occurrat; aliter censeretur quod nimis superbus praeumeret solus ipse sapere, contra sanctissimum monitum S. Gregorii Nazianzeni orat. 27. Nemo sapientior sit, quam conveniat, nec lege exactor, nec luce splendidiior, nec norma rector, nec praecipio ditimo sublimior.

Obijces primo: Qui sequitur alienam opinionem minus probabilem, relicta opinioe sibi probabiliori & tutiori, agit contra propriam conscientiam, agit enim contra iudicium proprium, quod oppositum magis veritati accedat, & consequenter peccat, quia ex Apostol. ad Roman. 14. Quod non est ex fide, id est, ex dictamine propriae conscientiae, peccat contra, & cap. Literas 23. de restitut. spolia. Quidquid sit contra conscientiam, adificat ad gubernam. Respondetur negando antecedens, quia quamvis ipse agat contra suam opinionem directam, non tamen agit contra suam conscientiam, sed iuxta suam conscientiam praecae certam; qui enim operatur iuxta opinionem vere probabilem habet conscientiam praecae certam, quod licite operatur; ultra enim actum opinatiuum directum, explicite, aut virtualiter habeat actum reflexum, quo certo iudicatur se licite operari, dum hic, & nunc operatur secundum opinionem vere probabilem, licet alienam. Nec valet dicere, quod ex Thoma 2. 2. q. 17. art. 2. Homo in iis, quae ad propriam personam pertinent, debet formare conscientiam à propria scientia. Adeoque non potest sequi opinionem pure alienam, maxime contra suam probabiliores & tutiorem sibi visam. Non valet, inquam, quia respondetur negando consequentiam, ipse enim format sibi conscientiam à propria scientia, eo quia sciens opinionem alienam esse probabilem, inde sibi format dictamen ultimum reflexum de licito usu illius opinionis; quia qui sic operatur non iudicat propriam opinionem sibi visam probabiliores esse veram, alioquin iudicaret oppositam, iuxta quam operatur, esse falsam, cum una sit veritas, sed solum iudicat eam magis apparere veram, saepe autem, quae magis apparet vera, reipsa sunt falsa; & regulariter opinio, quae uni, aut eidem nunc apparet probabilior, alteri aut eidem postea apparet minus probabiles.

Obijces secundo: Nemo potest licite agere, quod probabilis putat esse illicitum, sed sequens alienam opinionem minus probabilem & tutam contra propriam, probabilis putat esse illicitum id, quod agit, ergo &c. Respondetur distinguendo maiorem. Nemo potest agere quod probabilis putat esse illicitum praecae, concedo maiorem; quod probabilis putat esse illicitum speculative tantum, nego maiorem; & sic distincta minor, negatur consequentia. Licet enim talis iuxta suam sententiam probabiliores & tutiorem sibi visam, speculative iudicet oppositum esse illicitum; quia tamen etiam oppositam sententiam censeat vere esse probabilem, inde praecae certo se resolvit licitum esse sic operari hic & nunc, & nullo modo esse illicitum; quia regula proxima operandi non est probabilitas, sed certitudo, videlicet ultimum iudicium praecae, seu conscientia praecae, & non conscientia speculative; & eo ipso quod voluntas se determinat ad agendum iuxta ultimum iudicium praecae, quod nempe actio sit vere probabiliter hic, & nunc licita, praecae & exercite operatur licite, & sic non peccat.

Secunda pars resolutionis, seu conclusionis, nempe quod

quod etiam quandoque tenemur sequi opinionem alienam minus probabilem, & minus tutam, etiam contra propriam opinionem probabiliores, & tutiorem nobis visam, sic ostenditur. Omnes tenentur satisfacere suae obligationi, quando id sine peccato praestare possunt; sed quandoque accidit, quod aliqui obligentur satisfacere suo officio non obstante aliena opinioe minus probabili, & minus tuta apud ipsos; ergo cum talem opinionem alienam minus probabilem, & minus tutam sine peccato sequi possint, etiam contra suam propriam probabiliores sibi visam, ut usque modo ostensum est, ipsam quandoque etiam sequi tenentur; major est clara & certa; & minor probatur maxime de subdito respectu superioris, & de Confessario respectu penitentis. Subditus enim tenetur omnino obedire superiori praecipienti aliquid probaliter licitum, licet ipsi in subdito probabilis videatur illud esse illicitum, quia in materia obedientiae quando subditus potest licite obedire, tunc tenetur; sed subditus in hoc casu licite potest obedire; ergo tenetur. Cum enim certum sit, superiorem posse praecipere secundum suam opinionem sibi visam probabilem, & sit in possessione suae potestatis obligandi subditum; subditus autem non certo, sed solum probabilis putet oppositum, v. gr. materiam praecipiam esse illicitam, aut potestatem superioris se ad hanc materiam non extendere, & certum per probabile impediri nequeat, subditus non potest formare iudicium praecae probabile, nedum certum, licere sibi non obedire, sed non obstante sua contraria opinioe debet formare iudicium praecae, seu conscientiam, quod hic, & nunc, & possit, & debeat obedire superiori; colligitur ex c. Quid culpatur 4. caus. 23. quest. 1. ubi S. Augustinus dicit: Subditum posse militare ita jubente Rege etiam sacilego: Si certum non sit bellum esse iniquum, quamvis certum probabilis esset esse iniquum, tamen hoc non dandum esset certum; adeoque possit militare: Est communitur. Sanctorum Patrum & Theologorum sententia, talem subditum teneri obedire superiori in omnibus rebus, in quibus nullum manifestum est peccatum; sic Sanctus Bernardus de praecip. & dispens. cap. 12. S. Bonaventura in specul. discipl. cap. 4. S. Bernardus Senens. in decal. de obedient. S. Ignatius Loyola 3. p. const. cap. 1. §. 23. & part. 6. cap. 1. in decret. lib. B. Dionysius Carthusian. in 2. distinct. 39. quest. 3. & sic de ceteris.

111 Sic Confessarius in iudicio sacramentali tenetur contra propriam opinionem etiam probabiliores & tutiorem sibi visam absolvere penitentem, qui tenet oppositam minus probabilem, & minus tutam, dummodo sit vere probabilis, & vere tuta, & de reliquo penitens sit rite dispositus. Est communitur. Et certa sententia Navar. in manuali cap. 26. num. 4. Layman. lib. 1. tract. 1. cap. 5. num. 10. Claudius La Croix lib. 1. num. 445. cum plurimis ibi citatis. Immo Diana part. 2. tract. 3. resolut. 11. addit, teneri Confessarium sic penitentem absolvi, licet putet opinionem penitentis esse falsam, dummodo reputet probabilem, & Dianam sequuntur quam plurimi alii, & quidem si sermo sit de proprio Confessario, sive Parocho ipsius penitentis; Busebaum lib. 1. cap. 2. dicit, quod secundum communem sententiam debet Confessarius sub mortali tamen penitentem absolvi, licet ipse iudicet doctrinam esse falsam, ideoque frustra remitteret talem penitentem ad alium Confessarium, qui sit ejusdem sententiae. Quinimmo addit Diana p. 2. tract. 13. resolut. 11. ex Sanchez, & Sancio peccare mortaliter, si nolit absolvi, quando de mortali confessione fit, quamvis non sit proprius ejus Confessarius. Et ratio est, quia Confessarius audita confessione non potest absolutioem negare penitenti recte disposito, nullumque peccati obicem ponit, sed penitens sequens opinionem vere probabilem & tutam, est hoc capite recte dispositus, & nullum ponit peccati obicem, cum prudenter operetur; ergo non potest sine gravi injuria ei absolutio denegari, aliter tunc iniuste cogeret bis confiteri eandem peccata, contra suum jus, quod post enarrata peccata per seloquendo, habet ad absolutionem; immo Confessarius injuriam faceret etiam Auctori sacramentorum, quia sacramentum Penitentiae sine iusta causa relinquere imperfectum. Unde merito dicit Layman lib. 2. tract. 114

114. cap. 5. num. 10. quod reprehendenda est Confessarium consuetudo, qui veriti contententem contra propriam sententiam absolvi, ad alium Confessarium ablegant, qui oppositam probabilem opinionem tenet. Si enim ille alter absolvi possit; cur non & tu possis? Aut cur tua speculativa persuasio penitentis obesse debeat?

Conscientia scrupulosa est inanis apprehensio, & hinc ortus timor, & anxietas alicubi esse, vel fuisse peccatum, ubi revera non est, nec fuit. Est in re communis. Et dicitur signanter inanis apprehensio, ut advertatur, quod scrupulosus ex solis frivolis, aut levibus motivis, titubet, fluctuat, anxie formidat, aliquid esse vel fuisse peccatum, quod revera non est, nec fuit. Dicitur esse vel fuisse, ut advertatur, quod aliqui sunt scrupulosi circa praesentia, & alii circa praeterita. Scrupulosi circa praesentia sunt illi, qui cum deliberate non consentiant in peccata, tamen ubique timent, ne hoc ipsum, quod facere volunt, sit peccatum, & ideo ubique haerent & seipsos vanis apprehensionibus peccatorum excruciant & torquent, si aliquid egerint. Scrupulosi circa praeterita sunt illi, qui cum moralem diligentiam adhibuerint in examinandis, detestandis & confitendis praeteritis, nihilominus ex solis frivolis & levibus motivis, & sine prudenti fundamento, seu ratione continuo timent, an hoc vel illud etiam fecerint, an recte doluerint, an satis confessi sint, & huiusmodi.

Signa conscientiae scrupulose sunt praecipue sequentia: I. Frequens iudiciorum mutatio ex levibus & frivolis solis motivis, unde oritur in agendo inconstantia, v. gr. in horis canonicis, aliquando septies, aliquando decies mutant scrupulosi iudicium, num hunc, vel illum versiculum dixerint, & huiusmodi. II. Pertinacia proprii iudicii, quia scrupulosi, nec periti Doctores, nec prudentes, & experti Confessarii consilii acquiescunt, sed adhuc manent anxii & inquieti huc, illucque discurrunt ad hos, vel illos consulendos, nullius tandem iudicio acquiescentes, nisi suo. III. Multiplicitas reflexionum extravagantium & impertinentium circa innumeras rei circumstantias. IV. Continuus timor, quod in omnibus suis actionibus vel omissionibus adest peccatum, & contra Sapientem & Confessarium, immo & saepe contra etiam proprium iudicium remanere inquietos & anxios. V. Experientia, quod saepe similia sine rationabili motivo & fundamento inaniter apprehenderint. VI. Iudicium proprii & frequentati Confessarii, quod tales sui penitentes sint scrupulosi.

Causae conscientiae scrupulose, seu scrupulorum sunt praesertim sequentes. I. Consortium, seu frequens conversatio cum scrupulosis. II. Ignorantia, qui enim ignorantia sunt, levibus saepe, & frivolis motivis anxiantur & circumferuntur. III. Pusillanimitas & dejectionis animi, ob quam quis nescit timores contemneret. IV. Complexio frigida & melancholica. V. Immoderata & indiscretus fervor. VI. Imbecillitas capitis, quam homines apprehensivi solent habere. VII. Occulta superbia, ob quam aliquis non vult se submittere iudicio & directioni alterius. VIII. Nimius timor servilis, hic enim animam tremulam & trepidantem facit. IX. Suggestio demonis, ut bonum spirituale hominis impediatur. X. Voluntas Dei, quae interdum ad puniendam peccata nostra praesertim superbiae singulari sua providentia superbiam nostram à scrupulis deasci permittit, vel interdum scrupulos in animum nostrum immitit ad nos instruendos, ut sciamus compati & dirigere simili modo afflictos, vel interdum ad excutiendam nostram tepiditatem in Dei servitio, vel denique ad meriti nostri exercitium & augmentum.

Remedia conscientiae scrupulose, seu contra scrupulos sunt praesertim sequentia. I. Seligere Confessarium, aut Consiliiarium in rebus moralibus satis probatum, atque expertum, & ejus consilio & iudicio, proprio iudicio postposito, firmiter & ultimare acquiescere sine ulteriori indagine, etiamsi scrupulosus sit vir doctus. II. Scrupulos contemneret, contra illos agere, nec cogitatione fovere, & ad hoc valde expedit, ut scrupulosus memoria retineat, vel etiam in charta notat scrupulos praeteritos, in quibus agnovit, vel à Confessario auditiv se inaniter fuisse anxium; sic enim poterit ex horum similitudine novos dijudicare & contemneret. III. Assuefa-

cere se ad sequendas sententias mitiores, & etiam minus tutas & minus probabiles, dummodo sint vere tute & vere probabiles, ne scrupulosi continuo anxientur in indagandis sententis probabilioribus, & turtioribus. IV. Non iudicare quidquam esse peccatum mortale, nisi certo pro tali cognoscatur. V. Bonorum vitam & consuetudinem tamquam regulam intueri. VI. Fugere otium & vagas cogitationes, quia saepe sapius sunt scrupulorum origo. VII. Destruere causas scrupulorum, v. gr. solitus frequentare scrupulosos, ipsos debet; ignorans, instructionem petat; pusillanimus animum concipiat; melancholicus evacuet medicamentis atram bilem; pertinax frangat suum iudicium, superbus suae praetense prudentiae non fidat, & humilitati, & sui abnegationi studeat; tepidus spiritus fervori & virtutum exercitio, meritiq; augmento incumbat; timidus meditetur bonitatem Dei, iuxta illud Sapient. 1. *Sentite ac Domino in bonitate, reflectendo non esse tam rigidum Deum, ut hominibus bonae voluntatis peccata adscribat, poenamq; decernat; & sic de ceteris proportionaliter.* VIII. Nosse scrupulosorum privilegia. Nempe quod non teneantur in agendo ad examen & diligentiam tantam, quantum alii, sed ad valde medicrem; & quod non teneantur confiteri dubia, sed solum quae certo jurare possunt, quod commiserint, aut consenserint, & non sint confessi, unde ex praeteritis confessionibus nihil tenentur repetere, nisi certe sciant esse mortale, aut non esse confessum; non sunt autem certi, quamdiu dubitant. Quae privilegia sunt valde notanda a scrupulosis & scrupulosorum Confessariis. Unde Confessarii non debent permittere, quod scrupulosi confiteantur, & repetant in suis confessionibus scrupulos, vel dubia, sed solummodo peccata, quae certo sciunt esse mortalia, & se rite confessos non esse; & debent cum ipsis resolute procedere, & ne scrupulis scrupuli inducantur, debent abstinere a multis discursibus & probationibus, cum saepe in illis non desit materia novorum scrupulorum, sed urgent sunt scrupulosi, ut simpliciter credant, & plene obediant Confessario, quia iuxta illud Proverbior. 21. num. 28. *Vir obediens loquitur victorias.*

124. Licetum est operari contra conscientiam scrupulosam manente scrupulo; dummodo tunc iudicetur esse scrupulum, & ut talis contemnatur. *Est communis.* Colligitur ex cap. Inquisitionis 44. *de sentent. excomm.* ubi quaesito, an conjux scrupulum habens de validitate matrimonii teneatur abstinere ab ejus usu, respondet Pontifex his precisis verbis: *Conscientia levis, & temerarie creditatis explosa potest non solum reddere, sed etiam exigere debitum conjugale.* Et ratio est, quia conscientia scrupulosa nittitur solum levibus atque frivolis rationibus, ac proinde ejus iudicium est imperfectum, atque imprudens; ergo prudenter, licite ac laudabiliter cum ipsa manente scrupulo potest operari. Unde qui ex assignatis signis supra num. 110. & maxime ex Confessarii iudicio scit se esse scrupulosum, prudenter contra scrupulum agit; immo debet illum firmiter contemnere, & resolute, ac intrepide contra eum operari; scrupulum enim non excludit iudicium practicum probabile aut certum, ratione ejus ultimi iudicii practici supra scrupulum reflexi scrupulosus iudicat licite & prudenter suam conscientiam scrupulosam cognitam, esse firmiter contemendam, & contra eam operandum, cum tale iudicium reflexum sit didicamen prudens contra imprudens.

125. Qui operatur, nondum deposita, sed adhuc perseverante conscientia scrupulosa, si non iudicat & teneat esse scrupulum, peccat, sive contra, sive iuxta eam operetur, quia tunc conscientia scrupulosa transit in conscientiam erroneam vincibilem, ac proinde eodem modo est de ea discurrendum, ut de conscientia erronea vincibili fuit conclusum supra num. 20. & 21. Si vero quis sit ita perplexus, ut utrumque oppositorum iudicet esse peccatum, & ita sit scrupulus datus, ut nullo suffragante remedio vel consilio possit iudicare esse scrupulum, sed adhuc maneat dubius, an id scrupulum sit, necne, ac proinde se resolvere nesciat; tunc conscientia scrupulosa evadit conscientia dubia, ac proinde est discurrendum de ea, ut de conscientia dubia fuit resolutum supra numer. 34. 35. 36. & 37.

Definit Auctor, tum dividit conscientiam cum Scholasticis. Rectus conscientia definitur: *Judicium, quod quilibet gerit de propriis actionibus comparatis cum ideis, quas tenet de certa norma, quae lex dicitur, ita ut intra semetipsum colligas illas cum his aut convenire, aut non convenire.*

Est autem conscientia, vel antecedens, vel consequens. Illa de nondum edita vel futura actione, haec de praeterita & iam perpetrata actione iudicat.

Rursus conscientia, vel est decisiva, vel dubia. Decisiva, quando decisive & confidenter quis pronuntiat hoc vel illud cum lege congruere, vel eidem adversari. Estque conscientia decisiva, vel demonstrativa, vel probabilis. Demonstrativa est, quae nittitur rationibus demonstrativis, quantum quidem rerum moralium in dolens patitur, adeoque semper recta, aut conformis legi est. Probabilis, quae verisimilibus tantum rationibus utitur, & sic aut recta est, aut erronea, prout opinio illa in se ipsa cum lege, aut convenire, aut non convenire deprehenditur.

Dubia est, vel irresoluta, vel scrupulosa. Irresoluta est, quando utrum una pars amplectenda sit nescimus ob rationes utrinque sese offerentes si non perfecte aequi valoris, tamen ad minimum tales, ut neutrobique quidquam ita validum deprehendamus, cui certum, firmumque iudicium valeamus superstruere. De qua est regula: *Quandiu auctori heret iudicio, actio erit suspendenda.* Dissentit vero Got. Ger. Tit. observ. 19. ad Puffendorf. lib. 1. cap. 1. §. 6. de offic. homin. & civ. Sed ejus argumentum inde facile dissolvitur, quod is, cui dum aliquid agit perinde est, sive permissum id, sive prohibitum a Deo sit, aperte Deo insultat, ejusque legem reputat pro nihilo. *Scrupulosa* conscientia levissimis, aut inanibus quibusdam difficultatibus animo subortis gignitur, ut interea ab altera parte nulla praegnantis appareat dubitandi ratio.

(Circa regulas n. 38. 48. 50. 51. & 90. insertas, vide lit. A. pag. 249. n. 27. lit. B. pag. 375. num. 57. lit. F. pag. 6. n. 13. in fin. leg. 5. tit. 33. part. 7. Ad rem lex 4. tit. 8. part. 7. 4. tit. 11. lib. 8. Ord. Reg. 4. tit. 3. lib. 8. Recop. Castel. lit. D. pag. 91. num. 48. in fin. cum lit. C. pag. 212. num. 3. leg. 40. tit. 18. part. 3. 36. tit. 5. ibi: Et tercio: part. 5. Vide etiam tit. 29. part. 2.)

## CONSECRARE, CONSECRATIO.

CONSECRATIO episcopalis suscipienda est intra trimestre a die confirmatae electionis; Concil. Trident. sess. 23. cap. 2. de reform. Benedic. XIV. constit. incip. In postremo, §. 2. Consecratio episcopalis die dominico, vel natalio Apostolorum est sumenda, nisi Papa dispensaverit. Idem ibid. §. 20.

Consecratio Episcoporum juxta vetustorem disciplinam a Metropolitanis peragebatur, eoque tantummodo injuste eam denegante, Romanus Pontifex consecrationis munus impendebat; Idem ibid. §. 15. Ad praesens jus consecrandi Episcopos per se, vel per alium, ad Romanum Pontificem est devolutum. Idem ibid. §. 15. 16. & 17.

Consecrationis episcopalis delegatio, nunc juxta veterem restitutum formulam & mandatum de consecrando ad eum dirigitur Episcopum, quem sibi consecrandus elegit. Circa vero Episcoporum consecrationes, quae in urbe peraguntur, statutum est consecrandum, cui facultas sit eligendi consecratorem, seligere debere aut unum ex Cardinalibus episcopali characteris insignitum, aut aliquem ex quatuor Patriarchis plerumque in urbe residentibus, scilicet vel Constantinopolitanum, vel Alexandrinum, vel Antiochenum, aut Hierosolymitanum; Eo tantum excepto casu, quo nemo ex praefatis, quod per difficile est, oblatum sibi consecrationis peragendae munus acceptum haberet: In hac quippe casu hypothetici, facta est Episcopo consecrando facultas adeundi alium quemcumque Archiepiscopum, Episcopumve, qui ei

## CONSERVATORES.

### ARTICULUS PRIMUS.

Quoad ea, quae concernunt conservatorum qualitatem, electionem & durationem.

#### SUMMARIUM.

1. **C**ONSERVATORES qui sint: a quo eligendi: qua forma: an debeant esse in dignitate constituti: numerantur qui conservatores esse possunt, ad num. 11.
2. **R**egulares an possint eligi: Judices synodales an esse debeant: quid faciendum dum a synodo designantur: ubi sunt eligendi: quod intra tempus penes curiam episcopalem documentum est presentandum, secus enim coram Ordinario sunt conseriendi, ad num. 20.
21. **C**onstitutio D. Gregorii XV. attendenda: quas poenas incurram dicte constitutionis forma non servata: an possint eligi a superioribus Generalibus, vel Provincialibus, vel Localibus: quid si adsit consuetudo, ut locales superiores eligant, ad numer. 26.
27. **E**lecti seu deputati quando amoveri, vel mutari possint: causa recensentur ob quas recitari possint, ad num. 28.
29. **Q**uo tempore clapo libere eligendus conservator: si elabatur, & non detur electio, praecedens perseverat usquequo alius eligatur: quando expirat officium, & Jurisdiclio eorum si Judices synodales esse desinant, ad num. 31.
32. **N**ovae addit. inseruntur, ad num. 33.

CONSERVATORES communiter defini solent, quod sint particulares Judices a Summo Pontifice delegati ad alios defendendos contra manifestas injurias, molestias & violentias absque indagine judiciali; deducitur clare ex cap. Statutum 1. de offic. Judic. delegat. in 6. ubi sic praecise habetur: "Statuimus, ut conservatores, quos plerumque concedimus, a manifestis injuriis & violentiis defendere possint, quos eis committimus defendendos, nec ad alia, quae iudicalem indaginem exigant, suam possint extendere potestatem." Et consimiliter colligitur ex cap. Hac constitutione 15. eod. in 6.

Conservatores sibi eligere possunt regulares omnes, nedum qui ad hoc expressa & peculiariter privilegia a Sede apostolica obtinuerunt; sed & ceteri alii virtute communicationis privilegiorum cum ipsis, ut expresse declaravit Sacra Congregatio Concilii 12. Septembris 1620. Conservatoriae regularibus concessae non sunt sublatae per decretum Concilii Tridentini sess. 24. de reform. cap. 20. etiam quod causa graves sint, & plenarium cognitionem requirant; Sacra Congregatio Concilii in Mediolan. teste Rota part. 2. recent. decis. 616. in Ossen. Jurisdictionis 12. Decembris 1614. & sic etiam fuisse decisum sub die 18. Januar. 1594. referet Aldan. in compend. canonic. resolut. lib. 4. tit. 8. num. 10. Conservatores debent eligi ad praescriptum; cap. Statutum 11. de rescriptis; cap. Statutum 1. & cap. Hac constitutione 15. de offic. delegati in 6. & praecipue ad praescriptum constit. Gregorii XV. incip. Sanctissimus: quae cum sit specialis norma & regula pro conservatoribus, hic subnectitur ad promptiorem omnium commoditatem.

§. 1. Sanctissimus in Christo Pater, & Dominus noster Gregorius divina providentia Papa XV. ex ceteris rationalibus causis animum suum moventibus, & de voto Venerabilium Fratrum suorum sanctae romanae ecclesiae Cardinalium Concilio Tridentino Interpretum, partim felic. record. Clement. Papae VIII. praedecessoris sui vestigiis inharendo renovavit, ac nullas & invalidas decrevit omnes, & quascumque iudicum conservatorum erectiones, nominationes, seu deputationes, tam

ei consecrationem impenderet. Idem ibid. §. 16. ubi in fine scholasticus: Neque in his edendis conditionibus excidit nobis Metropolitanum memoria, cum constituerimus, ne si in urbe praesentes sint Metropolita, ejusque Suffraganeus, consecratio Suffraganei, cuiquam, praeterquam suo Metropolita, delegetur.

Presbyter, sive a Pontifice Maximo, sive a quocumque alio Episcopo ordinatus, consecrari nequit Episcopo sine speciali mandato Romani Pontificis. Idem ibid. §. 17. Consecratio Episcoporum ex indulto apostolico peragi potest ab uno Episcopo, una cum duobus Abbatibus, vel aliis duobus in ecclesiastica dignitate constitutis. Benedic. XIV. constit. incip. Ex tuis praecibus §. 21.

Consecrationis ecclesiarum munus est episcopali dignitati reservatum. Benedic. XIV. const. consr. Ex tuis praecibus. Diocesano Episcopo ita competit consecratio ecclesiarum suae diocesis, ut extraneo cuiquam Episcopo absque diocesani delegatione licere non possit. Idem ibid. §. 2. Simpliciter Presbyter nequidem ex delegatione Episcopi competere potest facultas consecrandi ecclesias. ibid. §. 2. & sequent. Ex pontificia tamen delegatione hujusmodi consecrationis munus simpliciter Presbytero competere potest. Idem ibid. §. 1. & 12. Vide ad id jam tradita verb. Ecclesia art. 4.

Consecratur ecclesiam Episcopus potest ex juxta causa missam Sacerdoti celebrandam committere. Benedic. XIV. constit. incip. Peracto a nobis, §. 1. Consecrationem ecclesiae ab uno Episcopo inceptam potest alter perficere, modo nimis longum temporis spatium non intercurrat; ibid. §. 16. ubi solvit obiectum.

Consecrationem ecclesiae, vel ab uno Episcopo, vel a pluribus simul, tamquam Communitatis peragi potest. Idem ibid. §. 4. & sequent. ubi id comprobatur scriptorum auctoritate & exemplis. Ipsum quoque munus benedicendi, unguendique cruce, Episcopi consecrantes inter se partiti possunt. Idem ibid. §. 10. & sequent. usque ad 16. ubi id probatur pluribus exemplis & argumentis, ac solvit rescriptum Sacrae Congregationis Rituum, in causa Ulyssiponensi.

Consecratio jure peragitur ejus ecclesiae, quam merito ambigimus unquam fuisse consecratam. Bened. XIV. constit. incip. Jam inde §. 1. 4. & 5. ubi adducit perspicuam ad id definitionem Bened. XIII. in Concilio Romano tit. 25. cap. 3.

Ecclesia a primo lapide reaedificata, vel etiam parietibus tantum renovata, debet nova consecratione dicari. Idem ibid. §. 10. Ecclesiae parietes si non uno tempore, sed per partes, diversisque temporibus fuerint reaedificati, vel si ecclesia igne comburatur, vel corruiat, aut destruat, an & in quibus ex his casibus, sit re-consecranda ecclesia? Vide ipsum ibid. §. 7. ad 13. & jam tradita & conclusa a nobis; verb. Ecclesia art. 4. d. num. 19. ad 25. inclusive.

Consecrationis jam deperditae officium an adhuc liceat recitare? Variant Doctores adducti; Bened. XIV. ibid. §. 22. merito propendit pro affirmativa continuationis; fultus potissimum exemplo duarum Basilicarum Lateranensis & Vaticanae, in quibus ad veterum consecrationum recordationem diu fuit reventa officii recitatio, etsi novis positis constructionibus, veteres amplius non superestarent consecrationes, uti plane, ait ipse, Bononiae haecenus factitatum.

Si parietes ecclesiae sint destructi, & a fundamentis iterum reaedificentur, ecclesia jam consecrata iterum consecranda est, ut ex tit. de consecrat. eccles. vel alt. firmant Canonista; insit. eccles. 67. §. 2. Officium vero recitari debet de priori consecratione, non de secunda; ibid. §. 6.

Consecratio altaris plane distincta est a consecratione ecclesiae, ut ex Pontificali Romano adnotatur; ibidem §. 8.

Alia ad rem, vide verb. Altare, verb. Ecclesia, verb. Episcopus, & verb. Eucharistia. \*